



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Medardvs Ep. 8. Iunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

ut ille hominum osor hujus amore captus sit
 Conflagrantem facibus foedæ cupiditatis perso-
 nata lena deseruit, intellexitque miserrimus ama-
 tor, qualis illecebra Deum sibi mentemque cri-
 puisset. Ius deinde sibimet dixit, immisâque in-
 tra diffisâ arboris rimas manu, revullis cuneis,
 arcæ iterum coëunte trunco inasitato cippo mi-
 serabilis se captivus induit; stetitque sic affixus
 triennium integrum; Dominicis duntaxat diebus
 panem & aquam è Severini manibus libare solit-
 us; cum demum jubente Camerinensi Episcopo,
 mortuam ab inaudito carcere manum, utique
 conciliato Numine, recepit. Audite peccatores.
 VICTORINVS momentum unum trienni supplicio
 vindicavit; nos avo continuo peccamus, & vix
 momento respiscimus. *Ex Phil. Ferrar.*

*Inanis est penitentiâ, quam sequens culpa coin-
 quinat: nihil profunt lamenta, si replicentur peccata.
 Nihil valet de malis veniam postulare & mala de-
 vo iterare. S. August. in soliloq.*

S. MEDARDVS E P. 8. Iunij.

Nolit fortasse à Gildardo gemello suo sejungi
 MEDARDVS, cum quo ita communia habuit
 omnia, ut eodem die ambo nati, ambo denati, am-
 bo sacris infulis induti sint: leges tamen hic seor-
 sim de MEDARDI pueritiâ paucula, de Gildardo
 paria cogitabis. In splendoribus opes natus unicum
 earum usum noverat, liberalitatem. Prætextam
 suam cæco largitus, ad matrem propè nudus re-
 currit, gestiens quòd tantillâ veste Christum in-
 duisset. Equorum custodiam cum ultrò sibi de-
 poposcisset, unius abducendi copiam regno via-
 tori fecit; cujus jacturam cum pater acerbè ferret,
 gregem

gregem recensentibus: numerus nullo capite im-
 minutus apparuit. Ipse nihilominus pietatis suæ
 fructum presentem tulit, aquilæ alis à pluviarum
 injuriâ defensus. De agrorum limitibus exarserat
 inter vicinos certamen, spectabatque res ad arma,
 nî puer litem finisset. Saxum enim medio reper-
 tum campo pede contigit, saumque velat in mollî
 cerâ vestigium impressit, eoque prodigio limi-
 tem vel ostendit, vel fecit. Eleutherio contuber-
 nali suo de mitrâ olim indispensandâ oraculum de-
 dit, cui postea vates ipse successit. Defuncto cæ-
 lum faces funebres suppeditavit. Clotharius Rex
 Sandapila succollavit. Cùm tumulo inferretur,
 cælum diduci pandique visum, nempe ut melior
 MEDARDI pars eò cum triumpho invehetur, ge-
 minæ columbæ itinertis ducēs futuræ obviam pro-
 fectæ sunt: quibus tertia, quæ de Sancti ore egressa
 est, sese junxit. Has alas animæ simplicitas & mo-
 destia affixerunt: nos in Pavcninis superbimus. Ex
 Suvio.

*Felix promissio, ut postmodum in divino liberetur
 examine, qui nunc subvenit egentibus in marore.
 Gloriosè mercatur, qui pro misericordia, quam pro
 pauperibus exhibet, totius Christianitatis conti-
 nuam orationem promeretur. S. Pet. Dam. Opusc. 9.
 de Eleem.*

SS. PRIMVS & FELICIANVS MM.

9. Iunij.

PRIMVS & FELICIANVS cum Iove & Hercule
 falsis Diis, Diocletiano & Maximiano crude-
 lissimis Imperatoribus decertarunt, solâ adversus
 illos pietate, adversus hos patientiâ armati: cujus
 ut insignia documenta darent, Angelorum bene-
 ficio viam sibi ad fugam aperientium noluerunt uti.
 Bellaria.